

OBSERVATIONVM ECLECTICARVM

DE

METAPHYSICA LEIBNITIO - WOLFFIANA  
SPECIMEN III. PSYCHOLOGICVM.

§. I.

**D**octrina de Mente nostra non minus utilis ac necessaria quam difficilis est; a) plerasque tamen feliciter superabimus difficultates, si naturali ordine ex præmissis exactis experimentis per ratiocinia non minus accurata naturam ejusdem indagaverimus. b)

a) Inter causas hujus difficultatis forte haud ultima est, quod compositis assueti in simplicibus etiam parte est quæramus, & cum nullas reperiamus, de obscuritate & ignorantia queramus v. B. Sturmii nostri Exerc. VIII. in Tom. II. Philos. Eclect. rerum in natura maxime familiarium obscuram simplicitatem ad fontes suos utcumque reducens.

b) quam methodum non infeliciter adhibuit Dn. Wolffius Metaph. cap. 3. & 5. eadem methodo usus est acutissimus noster Sturmius in Tr. de Homine, quem circa a 80. superioris seculi Auditoribus in calamum distavit, atque tertiam Physicæ Hypotheticæ partem fecisset, si posteriores adhibere licuisset curas. Ergo nos etiam ex experimentalis Noologia primum quædam excerpemus.

§. II.

Definitiones cogitationum clararum & obscurarum, & subdivisio clararum in distinctas & confusas a) minus placent, quod ab usu loquendi nimis recedunt b,) atque incommodæ sunt c.)

a) Obscura cognitio definitur non sufficiens ad rem denuo undecunque oblatam iterum agnoscendam; clara, quæ sufficit, eademque confusa audit, quando non possumus partes & notas ejus separatim enumerare; distincta, quando possumus. Leibnitius in Medit. de Cognit. Ver. Id. A. E. L. a. 1684. p. 537. Wolff. Metaph. §. 198. 199. Bulfinger Dilucid. §. 240. cum quibus ferme consentit Cartesius Princip. Philos. P. I. §. 45. 46.

b) Claritas & distinctio, obscuritas & confusio combinari solent; ab usu autem recepto temere non esse recedendum notissima eaque optima est regula, ab ipso Dn. Wolffio repetita Annot. ad Metaph. §. 63. 80.

c) nimirum ob has definitiones creatio simplicium nec intelligibilis nec explicabilis videtur. Dn. Wolffio, uti Specim. II. §. IV. not. c) observavi: durum etiam est, rubrum colorem distinguere posse ab aliis coloribus, neque tamen cogitationem ejus esse distinctam, quæ doctrina est Wolffii Metaph. §. 214.

C

§. III.